

1227-1241 – SS Gregorius VIII – Deus Pater

<http://www.procasp.org.br/>

Deus Pater

Dilectae filiae abbatissae et conventui monialium inclusarum Sancti Damiani Assisii.

1 Deus Pater, cui vos in ancillas obtulistis, misericorditer in filias vos adoptans, unigenito Filio suo Domino Iesu Christo, operante Spiritus Sancti gratia, desponsavit, in regno caelorum cum Sponso caelesti feliciter coronandas. Unde cum Sponsum vestrum super omnia diligere teneamini, qui diligentes se diligens, suos efficit cohaeredes, ita in eum tantum totis affectibus delectari debetis, ut nihil unquam vos ab eius caritate valeat separare. Ad hoc enim divinitus inspiratae vos in claustris reclusistis, ut mundo, et quae sunt in mundo, salubriter abdicatis, Sponsum vestrum incorrupto amplexantes amore, curratis in odorem unguentorum ipsius, donec vos introducat in suae cubiculum Genitricis, amoris sui dulcedine perpetuo recreandas.

2 Haec utique, si, ut confidimus, et pro certo speramus, attente et diligenter consideratis, quae nunc amara videntur, vobis salubriter indullescunt, mollescunt dura et aspera leniuntur, ut gloriemini, si quae pro Christo pati meremini, qui pro nobis probrosae mortis sustinuit passionem. Verum, quia inter amaritudines innumeras et angustias infinitas, quibus affligimur incessanter, vos estis consolatio nostra, universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino Iesu Christo ac per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, quemadmodum accepistis a nobis, ambulantes (W abundantes) Spiritu et viventes, posteriorum oblitas, semper ad anteriora vos cum Apostolo extendatis, aemulando charismata meliora, ut magis ac magis virtutibus abundantes, Deum glorificari faciatis in vobis, et nostrum gaudium impleatis, qui vos tamquam speciales filias (immo, si fas est dicere, dominas, quia Domini nostri sponsas), intima complectimur caritate.

3 Quia vero, sicut confidimus, unus cum Christo spiritus estis factae, postulamus a vobis ut in orationibus vestris semper nostri memoriam facientes, pias manus elevetis ad Deum, supplicantes instanter, ut qui scit nos in tantis periculis constitutos pro humana fragilitate non posse subsistere, sua virtute nos roborans, ministerium nobis ab ipso commissum sic det digne peragere, ut ipsi ad gloriam, angelis ad gaudium, nobis et commissis nostro regimini proveniat in salutem” etcetera.